

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus XX.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

conuenit seruo Dei. Vnde rectè nō dicit, Cohibe me: sed, Cohibe seruū tuū, ne dominantur mihi.

4. Quarto, Tunc integer ero, inquit, & mundabor à transgressione magna. Obseruandum est hoc loco, quæ sit, & unde constet electorum iusticia, integritas & innocentia. Non est ipsorum propria, neq; ex ipsorum uiribus, sed hæc est illorum iusticia, quod per gratiam Dei mundantur, cohibentur, ac liberantur à peccatis. Tunc innocentes sunt & iusti, quando per gratiam Dei gratis accepta peccatorum remissione iustificantur. Rectè igitur postquam dixit, Ab occultis munda me, & à temerarijs cohibe seruum tuum: subiicit, Tunc integer ero, & mundabor à transgressione magna.

OBSER.

Vers. ult.

Complacent eloquia oris mei, &c.) Primum illud notemus, quod canticum & orationē suam in conspectu Dei probari cupit. Nemini gratificatur uel cantando, uel orando, præter uni Deo. In huius se conspectu & canere & orare credit, illiq; unicè commendari & placere gestit. Longè aliter animati sunt, qui Deum labijs honorant, & corde aliud spectant. Deinde, consideremus qualia sint illa eloquia oris Dauidici, ut Deo placere possint. Quod hunc psalmum attinet, primum uidemus illa duo complecti. Vnum est, quod gloriam Dei extollit, idq; duplici nomine: primum propter maiestatem operum illius, deinde propter singulare beneficium legis, Israelii præstitum. Alterum est, quod de corruptione ingenij sui conqueritur, & gratiā Dei implorat, qua à peccatis mūdetur & cohibeatur. Secundo loco & illud accedit, quod non sunt nuda & inania uerba in ore obiter nata, sed ex corde promanantia. Vnde & subiicit, Et meditatio cordis mei. Huiusmodi cum sint eloquia Dauidis, meritō separari potest, quod Deo probentur.

3. Tertiō, & meditando uerbum expendamus. Non simpliciter dicit, Et cogitatio cordis mei: sed, Meditatio, inquit, cordis mei. Aliud est simpliciter, obiter ac semel aliquid cogitare, id quod frequenter in corde humano accidit (quale genus cogitationum, mox euanescentium, Germanicè fliegende gedanken uocamus:) & aliud, meditari. Meditatio est, qua rem aliquam seriō, diu ac frequenter in corde uersam, ore proloquimur, & si fieri queat, opere quoq; adimplere gestimus. Hac meditatione commendanda sunt Deo, quæ illi probari uolumus: cui haudquaquam placere possunt illorum orationes, qui euanidis ac obiter natis cogitationibus ad orandum prosiliunt, quamuis sibi ipsi admodum seriō, & ut loquuntur, deuotè precari uideantur.

Postremō. Nec illud transeundum est, quod Psalmus claudens dicit: Domine rupes mea, & redemptor meus. Sic aperit, qua fiducia Deum glorificet, & opem illius imploret: nempe quod credat, imō sciat, esse illum rupem ac redemptorem suum. Sine hac fide laudare & orare Deum, nec laudare est, nec orare: sed uel irridere, uel tentare.

Considerandum etiam est, quid his uerbis de Deo suo prædicet. Vocat eum rupem, suam: hoc est, sustentatorem omniū firmissimum. deinde & redemptorem, id est, liberatorem & ereptorem. Qui extra periculū sunt, sustentantur, in aduersis & periculis constituti redimuntur & liberantur. Vtrumq; necessarium, & utrumq; in uno Deo querendū, qui solus & conseruare potest, & eripere.

PSALMVS XX

AD PRÆCINENDVM PSALMVS DAVIDIS.

Argumentum psalmi.

PRECATIONEM habet hic psalmus, et certam fiduciā populi Dei. Primis quatuor uersibus ad Deum orant pro rege suo, iamiam ad conflictum contra hostes impios profecturo: reliquis propter spem accipiendi diuinitus auxilij certam fiduciam exprimunt. Videntur autem haud abludere à scopo, qui putant hunc psalmum de eo bello compositum, quod Dauid contra Ammonitas gessit. quo de uidere est 2. Sam. 10. & 1. Par. 19. Coniectura hinc sumi potest, quod in eo bello 40000. equitum, & 7000. curruum caesa leguntur. Vt appareat ad id uersu septimo respici, quo canit populus Dei ad hunc modum: Hi in curribus, & illi in equis: nos autem hominis Domini Dei nostri recordati sumus.

PRECATIO VERS. 1. 2. 3. 4.



Espondeat tibi Dñs in die tribulationis, exaltet te nomē Dei Iacob.
Mittat auxilium tuum de sancto, & ē Zīon fulciat te. (ciat.
Memor sit omniū libaminū tuorū, & holocaustū tuū pingue fa-
Tribuat tibi secundū cor tuū, & omne consiliū tuum adimpleat.

LECTIO

Vers. 1.

gninus & Tigurina. Felix & Iustinianus legunt, Respondeat tibi. Felinus, Annuat tibi.

Vers. 2.

Exaltat te. Ebr. שגבר. Græc. ἀνυψώσῃς σε, id est, adiuuet te. Vulg. Lat. protegat te. Sic & Hiero. & Felix. Arabs, adiuuet te. Pagninus, eleuet te. Iustinianus, fortem te faciat. Tigurina, in tuto collocet te. Sic uertit & Felinus, quem multis in locis Tigurina sequitur.

Vers. 3.

Fulciat te. Ebr. יסדך. Græc. ἀσπάζῃς σε, id est, adiuuet te. Vulg. Lat. tueatur te. Hieron. roboret te. sic & Iustinianus. Pagninus. Felix, & reliqui reddunt, fulciat te.

Vers. 4.

Omnium libaminum tuorum. Ebr. כל מנחתך. Græc. Vulg. Lat. & Hieron. & Iustinian. omnis sacrificij tui. Felix, omnium munerum tuorum. Sic legit & Tigurina.

Pingue faciat. Ebr. שגבר. Græc. πλουτήσῃς, id est, pinguescat. Sic & Hier. Tigurina, pingue faciat. Pagninus, incineret. Felix, in cinerem conuertat. Iustinian. cinis fiat. Felinus, approbet. Arabs, accipiat.

(Adimpleat.)

A *Adimpleat.* Ebr. *למלא*. Græc. *ἑκπλησθαι*. Vul. Lat. confirmet. Chald. *למלא*, id est, perficiat. Sic & Iu. *Vers. 4.*
 tinianus, & Tigurina. Hieron. Pag. Felix, impleat.

Respondeat tibi Dominus. Appararet ex uerbis compositum hunc à Dauide psalmum, interea esse **EXPLA-**
 à cantoribus decantatum, dum ille prælum aduersus impios initurus, ad Deum oraret, & sacri **NATIO**
 cia præmitteret. fit enim mentio sanctuarij & Zijonis, deinde & libaminum & holocausti. deniq. *Vers. 1.*
 ad orationem ad Deum factam innuit illud, quod statim initio canunt dicentes, Respondeat tibi
 Dominus. Astipulantur igitur uotis orationi, & sacrificijs regis sui, orantq; ut à Deo exaudiatur,
 exaltetur, adiuuetur, fulciatur, & adimpletionem consilij sui consequatur. Hæc est summa eorum,
 quæ quatuor hisce uersibus canuntur, in quibus planè nihil est obscuri. Diem tribulationis & an-
 gustiæ, uocant tempus belli. Exaltationem, regis sui uictoriam; & quæ ex uictoria est, gloriam in-
 telligunt. Et alias superior esse dicitur, qui uincit: & inferior, qui uincitur. Nomen Dei Iacob, in-
 telligunt uel uirtutem & potentiam Dei Iacob: uel causam belli, quod tum propter Deum Iacob,
 inq; illius nomine à Dauide contra impios populi Dei oppressores gerebatur: ut exaltari à no-
 mine Dei dicatur, qui in causa Dei, quam propter Deum administrat, exultatur. id quod tum acci-
 dit, quando causa Dei, quæ periclitari uidebatur, uincit & illustratur: perinde ac si dicas, eos ab E-
 uangelio Christi Iesu exaltari, qui propter Euangelium susceptum & illustratum, cum illius sint
 ministri, in precio habentur, & supra aduersarios ueritatis extolluntur: rursus eosdem deprimi, &
 ignominia affici, quando Euangelium deprimatur, & probro afficitur. Vocant Dominum Deum
 Iacob, ut promissionum Dei Israeli factarum sese admoncant, & beneuolentiæ illius recorden-
 tur, qua Iacobi ac posterorum illius Deus esse ac dici uoluit.

Mittat auxilium tuum de sancto. Idem orant hoc uersu, quod & præcedenti & sequentibus. Quod *Vers. 2.*
 aut nō simpliciter dicunt, Mittat auxilium tuum, & suffulciat te: sed addunt, De sancto, id est san-
 ctuario, & de Zijon, quod idem est: non ob id faciunt, quod credant Deum loco terrestri allega-
 tum: sed quod respiciant ad promissiones Dei, quibus se in medio populi sui habitaturum, uideli-
 cet in tabernaculo suo, quod tum erat in Zijon, pollicitus est, quas postea Salomoni post templū
 ædificatum renouauit.

Memor sit omnium libaminum tuorum. Lex præcipiebat, ne quisquam in conspectu Dei uacuis appa- *Vers. 3.*
 reret. Hinc est, quod ueteres precationibus suis, sacrificia, libamina, & holocausta coniunxerūt: id
 quod adeo solenne erat, ut & Saul, cum irruentibus Philistæis Dominum inuocaret, Samuel uerò *1. Sam. 15.*
 nondum aduenisset, ne sine sacrificijs discederet, per seipsum sacrificare præsumpserit, cum tamē
 id illi non liceret. Iudicabat enim, infelicitate se conficturum cum hostibus, Domino nondum sa-
 crificijs placato. Quod autem Saul modo illicito fecit, id Dauid licite, hoc est, secundum legis præ-
 scriptum obseruauit. Ideo recondantur hic libaminum & holocausti illius, orantq; Dominū, ut in
 ipso cōflictu memor esse uelit sacrificiorum regis, & holocaustū illius pingue facere, id est selectū
 & eximium: qualia solebant ab illis offerri, qui ex animo optima quæq; offerebant: atq; ideo dimi-
 canti adstiteret, & uictoriam aduersus impios conferre. Qui legunt, Et holocaustum tuum in cine-
 rem conuertat: respiciunt ad id, quod holocausta tum Deo probari iudicabantur, si quando peni-
 tūs igne absumberentur, & in cinerem redigebantur.

Tribuat tibi secundum cor tuum. Quasi summam quandam habet hic uersus eorum, quæ populus *Vers. 4.*
 pro rege suo petebat à Domino: nempe, ut illi obuenirent omnia quæ corda meditabatur & pro-
 ponebat. Intelligunt autem de præsentī causa. Idem uerò bis dicunt. Nihil enim aliud est, quod di-
 cunt, Tribuat tibi secundum cor tuum: ab eo quod subiungunt, Et omne consilium tuum adim-
 pteat. Orat itaq; his uerbis, ut plena & consummata uictoria Dauidi diuinitus concedatur, sic ut
 nihil eorum desit, quæ ille optabat, & à Deo petebat.

Respondeat tibi Dominus. Principio obseruanda uenit cordatissimi regis pietas, quā, cum præliū **OBSER.**
 initurus esset aduersus impios, nullis suis uiribus confusus est, sed ad Dominum Deum suum con- *Vers. 1.*
 fugit. Hoc ab illo factum innuit, quod orant ut Dominus illi respondeat, nimirum ad se clamanti.
 Admonentur ergo principes, ut primū coram Domino contra hostes pugnare discant, si quid fe-
 liciter efficere & obtinere cupiunt.

Deinde & illud notandum est in Dauide, quod non est sua tantum in oratione contentus, sed 2
 & populum instituit, ut uota sua coniungat, & Dominum pro se interpellat. Nec immerito. Nouit
 enim pijsissimus rex haud grauatim audire Dominum populi sui preces, ad se in diebus angustiae
 clamantis. Deinde sciebat etiam id illius interesse plurimū, ut à Deo audiretur. Erat enim maxi-
 mē populi causa in angustijs illis bellicis constitutus.

Tertiō, in die, inquit, tribulationis. Admoneantur hic qui præsumunt populis, quam sortem expē- 3
 ctare debeant. Maxima illorū pars dignitates unā cum delicijs sectatur, putatq; magistratus sub-
 limitatem causam esse duntaxat magnarum dignitatum: cum reuera, si rem recte reputent, hic sta-
 tus plenus sit tribulationum diebus.

Quartō, obseruandum etiam est, quā suauī affectu afficiatur pius populus erga regem suum: 4
 non in eo modō quod ad Deum pro illo orat, sed & quod per apostrophen uerba ad ipsum cōuer-
 tunt. Non enim dicunt, Respondeat illi Dominus, exaltet eum nomen Dei Iacob, &c. sed, Respon-
 deat tibi Dominus, exaltet te nomen Dei Iacob. Mittat auxilium tuum de sancto, &c. quo sanè lo-
 quendi modo satis innuitur, quo affectu populus erga magistratus suos præditus esse, proq; illo-
 rum salute & successu orare debeat. 5 Quintō.

Quintò. Et exaltet te nomen Dei Iacob.) Et hoc notandum est cordatis hominibus, quòd populus ista petit, ut rex suus exaltetur, superior cunctis ac sublimior fiat. Decet hic candor populum regi suo fidelem, ut ex animo optet illum reddi gloriosissimum, illustrissimum, & intuentissimū omnium. Verum id tum demum rectè optare possunt subditi, quando talis est princeps, quem nomē Dei gloriosum & illustrem reddere queat. Vix hic mihi à lachrymis temperare possum, quando de presentium temporū miseria & immedicabili corruptione cogito: qua sit, ut qui causam Christi promotam cupiunt, magis optare coguntur, ut principes ipsorum ignominia & contemptui subijciantur, quàm ut exaltentur, quoniam illorum gloriam & sublimitatē ueritati & gloriae Christi obesse uident. Quàm essemus autem felices, si principes sic se gererent in Ecclesia Christi, ut intelligentes, & Christo Domino cum timore seruientes per nomen illius supra cunctorum regum terrę fastigia exaltarentur, quem illis honorem cuncta fidelium pectora ex animo gratularentur. Fuerat & Saul rex populi Dei: uerum quoniam tyrannus esse maluit, quàm bonus ac pius princeps, fieri non potuit, ut eo erga illum affectu essent subditi, quo postea fuerunt erga Dauidem.

OBSER.

Mittat auxilium tuum de sancto.)

Verf. 2. Auario ac domo Dei in Zijon existente, mitti orant. Admonemur ea in re, unde debeamus auxilium petere: nempe ex eo loco, in quo est habitatio Dei, sanctuarium Dei, ciuitas ac sedes Dei. Si enim tum temporis habebat sedem Dei typicam: nos uerò post Christū reuelatum scimus sedem ac sanctuarium Dei esse non in manufactis, sed in cœlestibus, quò admonente Spiritu sancto uocamur, ut illic gratiā opportuno tēpore quæramus, & impetremus. Ebræ. 5. 9. 10. 12.

Deinde mysterium illud inenarrabile considerandum est, quòd in terris Deus, inter homines, locum sibi delegit, in quo sedem pararet nomini suo. Stupendum planè est, quòd Deus ille infinitus, optimus, potētissimus, iustissimus, sanctissimus, &c. appropinquat hominibus, & uel aliquid cum illis talibus, ipse talis, habet commercij, ut & Moses Deut. 4. monet. Quid hinc aliud colligendum est, quàm ingenium philanthropiæ in Deo, quo delectatur hominibus, quos ad imaginem suam condidit? Iam tum euidenter ostendebatur, fore aliquando, ut uerè habitaret cum hominibus Deus, hoc est, redderet sibi homines proximos & unitissimos, & humanam naturam suā coniungeret: id quod in Christo Iesu ab æterno prædestinatum erat, ac postremis tandem temporibus præstitum, donec eueniat illud, de quo Apostolus 1. Cor. 15. loquitur dicens, Vt sit Deus omnia in omnibus. Interea uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, & uidimus gloriā eius, &c. Et Baruch 3. Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est. Iam habitat in cordibus nostris per spiritum suum, ut simus templum ac domus Dei. primæ ad Corinthios sexto: secundæ ad Corinthios sexto: primæ Timot. 3.

1. Memor sit omnium libaminum tuorum.) Principiò, ex eo quòd legalia illa sacrificia Dauid tam studiose ac religiose iuxta legis præscriptum Deo obtulit, cum tamen sciret ea per se non placere Deo, sed aliud genus sacrificiorū ab illo requiri, nēpe iusticię, contriti cordis ac laudis, id quod & psal. 40. 50. & 51. disertè canit: admonentur pijs, ut quæ à Deo singulis sunt tradita & præscripta tēporibus, quantumuis carnalia & externa uideantur, nec principaliter ab illo ac per se requirantur, nō contemnant, sed religioso & pio fidei exercitio custodiant, in quibus ea dispensatione maneant, qua Deus pro tempore populum suum in studio pietatis exercere & instituere uoluit. Viuebat Dauid ueteris testamenti temporibus, sub umbris rerum futurarū, inter eos quibus legales ceremoniæ, perinde ac pueris prima elementa præscriptæ erant. Decebat ergo, imò ita requirebat uera pietas, ut illis uteretur & ipse, quamuis per illas Deo, externo opere, ritè seruire nō posse, neque peccatorum remissionem & ueram salutem acquiri sciret, quam in uenturo Christo cum reliquis pijs dubio procul exaltabat. Quid de Dauide loquor? Christus ipse, an non idem agebat, cum ad Ioan. nem diceret: Sine modò. Sic enim decet nos adimplere omnem iusticiam? Quo ducuntur ergo spiritu, qui symbola gratiæ à Christo proposita, propterea contemnant, quòd uidentur esse res externæ? Et illi quoque, qui ministerium prædicationis uelut externum uerbum respuunt?

2. Deinde in eo quòd orant, ut memor sit Deus libaminum Dauidis, id quod in die tribulationis, huc seruit nobis, ut cogitemus talem esse Deum, qui pietatis & uotorum fidelium suorum in tempore tribulationis recorderetur, & laborantibus succurrat. Innuit enim hoc Spiritus sanctus, dum orationem hanc in cordibus fidelium fingit & producit. Huius rei multa sunt in Scripturis exempla, ut Gen. 19. Recordatus est Dominus Abrahæ, & liberauit Loth. Et Act. 10. dicebat angelus ad Cornelium: Orationes & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam Dei. Et Christus Matth. 25. hoc indicat, cum dictum se in extremo iudicio prædicat: Venite benedicti patris mei, &c. Esuriui, & dedistis mihi cibum. Excitet hæc consideratio studium pietatis in animis fidelium, certosque reddat non esse illius boni operis obliuionem coram Deo, cuius & Paulus admonet Ebr. 6. cum dicit: Nō enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis uestri, & laboris cum charitate suscepti, &c.

3. Tertiò. Et illud obseruandum est, quòd dicunt, Et holocaustum tuum pingue faciat. Tamen si nullas iam offerimus pecudes, ut pingues offerre queamus: admonemur tamen, ut quicquid Deo damus, pingue sit: id est, selectum, ut uidelicet Mammonæ ac uentri seruemus pingua, & Christo in pauperibus demus quisquillas. Notus est locus Malachię primo, qui etiam nū obseruandus est. Quid enim sunt eleemosynæ nostræ, nisi oblationes quædam, quibus Deo gratificari uolumus. Quales autem demus eleemosynas, & quantū insumamus in studium uentris, non est quidem opus

ut admo-

ut admoneam: dignum tamen, quod omnes pii deplorent. Nam hoc ueluti certo indicio proditur, qua fide demus elemosynas.

Tribuat tibi secundum cor tuum.) Obseruandum est hic, quàm conuenienter, postquam orarunt dicentes, Memor sit omnium libaminum tuorum, &c. subiungant & dicant, Tribuat tibi secundum cor tuum. Ianuitur enim, in omni precatione & oblatione cor à Deo respici, non externa uel uerba uel facta. Alioqui queritur Dominus dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sed quæso, quot habemus hodie principes, quibus hoc tutò & cum gloria Christi apprecari possimus, ac dicere, Det uobis Dominus secundum corda uestra: & nò magis, Conuertat Dominus corda uestra, & consilia uestra uel infringat, uel immutet?

Deinde & illud notandum est, quòd dicunt: Et omne consilium tuum adimpleat. Consilia tribuunt Dauidi regi suo, adimplerem uerò illorum agnoscunt non esse regis, sed Dei: ideoq; illà à Deo impetrare orando conantur. Ergo quantumuis sint reges terræ, non sunt tamen illorū consilia alià cōditione, quàm cōmuni mortaliū omniū: quæ talia sunt, ut rectè de illis dictum sit, Homo proponit, Deus disponit. Et alibi: Cor regis, inquit, est in manu Dei. Admonemur itaque, ut tam nostra, quàm magistratum nostrorum consilia agnoscamus esse inania & inefficacia, nisi diuinitus adimpleantur: atque eam ob causam bonorum consiliorum adimplerem petamus à Deo, malos uerò malorum conatus firma fide contemnamus, scientes nihil eos efficere posse, nisi consensu Dei accedat.

Lætābimur in salute tua, & in nomine Dei nostri uexilla erigemus: implebit Dominus omnes petitiones tuas.

Nunc cognoui quòd saluum faciet Dominus Christum suum: respondebit illi de cœlo sancto suo, in potentia salutis dexteræ suæ.

Illi in curribus, & isti in equis: nos autē nominis Domini Dei nostri recordamur.

Ipsi incuruabuntur, & cadent: nos autem stabimus, & confirmabimur.

Dominus seruabit regem: respondebit nobis, quo die inuocauerimus eum.

Lætābimur.) Ebr. גָּדְלוּ. Chaldæus, גִּדְלוּ, id est laudabimus. Sic & Hier. Iustinian. cantabimus. Alij, exultabimus. Græcus, ἀγαλλοῦμεθα.

Vexilla erigemus.) Ebr. גָּדְלוּ. Chald. גִּדְלוּ, id est, signum explicabimus. Hieron. ducemus choros. Iustin. Pagn. & Felix, uexillum erigemus. Tigurina, signa triumphantes erigemus. Græc. μεγαλύνωμεθα. uulg. Lat. magnificabimur. Illi legerunt, גָּדְלוּ pro גִּדְלוּ.

Implebit Dominus.) Ebr. יְמַלֵּא. Alij legunt modo optandi: mihi magis arrisit simpliciter legere in futuro, ut sit uerbum spei ac fiduciæ. Variant interpretes in sequentibus. Alij enim in futuro, alij in præterito legunt. Mihi uisum est, formam spei, de futura uictoria loquentis retinere. Felinus hic sic uertit: Cum præstiterit Autophyes, quæcunque optaueris.

Recordamur.) Ebr. זָכַר. Iustinianus reddidit, thura ponemus.

Ipsi incuruabuntur.) Ebr. כָּרְעוּ. Græcus, συνισπασθῆναι, id est, simul impēgerunt, uel offenderūt. Vulgata Lat. obligati sunt.

Nos autem stabimus.) Ebr. קָמָנוּ. Græcus, ἀνίσταμεν. uulg. Lat. surreximus. Sic & Hier. & Pagn. & Felix, & Iustinianus, Felin. uerò, stamus. & Tigurina, perstitimus.

Dominus seruabit regem.) Hic uersus uariè legitur. Græcus & uulg. Lat. sic: Domine saluum fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te. Sic legit & Arabs. Tigurina: Dominus seruabit regem, quo die inuocauerimus, exaudiet nos. Chald. Verbum Dei redime nos: rex fortis accipe orationem nostram, in die inuocationis nostræ. Hieron. ad hunc modum: Domine salua, rex exaudiet nos in die qua inuocauerimus te. Pagninus: Domine serua, rex exaudiet nos. &c. Iustinianus: Deus salua, rex responde nobis, &c. Felix: Domine saluum fac, rex respondebit nobis, &c. Felinus: Autophyes seruauit nos, ille rex noster annuit nobis, cum inuocaremus. At Ebræa simplicissimè sic habent, יְעֹזֵב בֵּרֵךְ הָרֶגֶץ הַזֶּה חַיֵּי הַחַיִּים הַחַיִּים הַחַיִּים. Quòd autē tam uariè redditur hic uersus, causam dedit qui Ebræa punctis distinxit.

Lætābimur in salute tua.) Hæc est altera psalmi pars, qua populus precationi præmissæ, qua regi suo auxilium, salutem ac uictoriam apprecatus est, spem suam de futura uictoria, quam rex ab hostibus impijs, diuino auxilio adiutus, reportaturus esset, subiiciūt, dicentes: Lætābimur in salute tua, &c. q. d. Est iam dies tribulationis, uerū certi sumus ad futurum breui diem læticiæ & exultationis, in quo propter seruatum ac triumphantem regem nostrū læticia & exultatione perfundemur. Sic salutem regis sui non eam uocant, quam ipse operaturus esset, sed quā à Deo accepturus erat.

Addunt, Et in nomine Dei nostri uexilla erigemus. Vexilla erigere, est conflictum parare, & ad illum accingi. Significant igitur, niti se spe ac fiducia diuini nominis, & ea spe fretos, parare se ad prælium, ut qui sciant se conflicturos propter nomen Domini Dei sui, contra illius hostes ac blasphematores: ideoq; haudquaquam dubitare se, non de futurum illum regis sui petitionibus, tam iustis, pijs & sanctis. Sic subdunt, Implebit Dominus omnes petitiones tuas.

Nunc cognoui, quòd saluum faciet Dominus Christum suum.) Sic quisque pius è populo Dei inducitur, ut singularem spem suam ac fiduciam exprimant. Q. d. quisq; certò lætabimur in salute tua. Implebit enim Dominus omnes petitiones tuas, & hac spe uexilla erigemus. Scimus enim quòd Christum uuum Deus seruaturus sit, illiq; cœlitus responsurus: hoc est, potenter, ueluti dextera sua auxilium

OBSER.

Vers. 4.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

126

127

128

129

130

131

132

133

134

135

136

137

138

139

140

141

142

143

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195

196

197

198

199

200

201

202

203

204

205

206

207

208

209

210

211

212

213

214

215

216

217

218

219

220

221

222

223

224

225

226

227

228

229

230

231

232

233

234

235

236

237

238

239

240

241

242

243

244

245

246

247

248

249

250

251

252

253

254

255

256

257

258

259

260

261

262

263

264

265

266

267

268

269

270

271

272

273

274

275

276

277

278

279

280

281

282

283

& opem laturus. Non est autem ociosum, quod personam mutant. Cum dicendum uideretur, Quod saluum faciet Dominus: dicunt, Quod saluum faciet Dominus Christum suum: qua consideratione, nimirum quod rex ipsorum, pro quo orabant, esset Christus, id est, unctus Domini, spem de futura uictoria conceptam confirmabant.

Verf. 7. *Illi in curribus.* Vt terrorem illum, quem hostes multitudine curruum & equorum inferre & incutere, indeq; & uictoriam reportare moliebantur, reprimerent, imò contemptibilem esse admonerent, opponunt illi spem suam, quam in nomine Dei sui conceperant, dicentes: Illi, id est, Ammonitæ cum auxiliariis suis copijs, ueniunt contra nos armati & instructi currib. & equis, pollicenturq; sibi uictoriam è brachio carnis: nos uerò, qui scimus uictoriam esse à solo Deo, multitudine equorum & curruum haudquaquam terremur, sed bona & inuicta cum fiducia, nominis Dei nostri memores, stabimus infracti & confirmati. Vnde & subdunt,

Verf. 8. *Ipsi incuruabuntur, & cadent.* Vt precedenti diuersitatem apparatus, sui uidelicet & hostium, inter se opposuerunt, sic presenti hoc uersu diuersum praelij exitum, & longè alium ab eo quem sibi pollicebantur hostes, subiiciunt. Illi inquit, quamuis multis sint equorum & curruum millibus instructi, nos uerò solo nomine Dei nostri confisi, praelium ingrediamur: certi tamen sumus casuros eos ante conspectum Domini Dei nostri, nos uerò firmos ac uictores futuros.

Verf. 9. *Dominus seruat regem.* Quia dixerunt, Illi incuruabuntur & cadent, nos uerò stabimus, & confirmabimur: ne uisum suarum fiducia hunc sibi belli exitum polliceri uideantur, repetunt id quod uersu sexto scire se cecinerunt, nempe quod Dominus seruaturus sit regem, ipsisq; responsurus, quo die ipsum inuocauerint: significantq; ex eo se certos esse, quod prostratis hostibus ipsi sint futuri firmi & immoti. Sic quinque postremis istis uersib. disertè ac luculenter spem suam in Deum coniiciunt, & ex illa cōfidenter de euentu belli huius pronunciant: nec, ut in historia uidere licet, spe sua sunt fraudati.

OBSER. *Lætābimur in salute tua.* Sunt quædam hoc uersu de spe obseruanda. Primū, quomodo illa fideliter ac sedula oratione alatur & confirmetur. Sic uidemus hoc psalmo, post precationem subiecta esse uerba spei, ac constantissimæ fiduciæ: id quod & alij quamplurimi psalmi ostendunt. Hanc orationis efficaciam non experiuntur, nisi quib. datus est spiritus fidei: reliquorum preces inanes sunt, & inefficaces.

Deinde, quod sit spei ingenium. Quod hunc uersum attinet, spes primū, in ipso tribulationis tempore animum sperantis proposito futuro gaudio erigit & confirmat. Sic prospiciunt & isti in futuram læticiam, cum dicunt: Lætābimur in salute tua. Admonemur itaq; hoc loco, ut in die tribulationis animum prouehamus ad futura gaudia, ac spe illorum corroboremur. Sic ad discipulos Christus dicebat: Tristitia uertetur in gaudium. Et ipse quoq; proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Et Rom. 8. ad eundem scopum collimat Apostolus, cum dicit: Non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam, quæ releuabitur in nobis. Et Iob cum se post tenebras lucem sperare dicit, planè idem facit. Deinde non solum ad futura gaudia sese spes protendit, sed & præsentia pericula intrepidè aggreditur. Hoc ostendit populus iste fidelis, cum subiungit, Et in nomine Dei nostri uexilla erigemus. Desperatio contrā, uel hesitatio, cunctanter sese gerit, & cum trepidatione facit quicquid facit.

OBSER. *Nunc cognoui.* Et illud hic ad commendationem spei obseruandum est, quod spei suæ certā præscientiam rei futuræ tribuunt, cum se scire dicunt, quod seruaturus sit Dominus Christum suum, illiq; de cælo sancto suo responsurus. Erant ea uerba animi nullam aliam certitudinem habentis, præter eam quam spes gignit in corde credentis: & tamē de certā cognitione gloriantur. Hæc spes quia non fallit, nec pūdefacit, meritò certæ scientiæ loco habetur.

Deinde notandū est, quod nō dicunt, quod saluum faciet Dominus regem nostrum: sed, quod saluum faciet Dominus Christum suum. Duo significantur hac loquutione. Vnum, quomodo sentiant de rege suo pij: sic nimirum, ut agnoscant eum esse unctum Domini. Hæc cogitatio fons erat debitæ obseruantię & obedientię, quæ tanquam seruo ac Christo Dei præstanda, & non tam in hominem regem, quā in Deum ipsum dirigenda erat. Alterū, unde spes illa futuræ uictoriæ concepta fuerit, nempe ex eo, quod credebant non deserturum Deum Christum suum, pro ipsius nomine & populo periclitantem. Sic fidem ac beneuolentiam Dei erga seruos suos, non suam ipsorum iusticiam & dignitatem hic considerant.

Tertiò, De cælo sancto suo. Suprà uersu 2. dixerunt, Mittat auxilium tuum de sancto, & è Zijon fulciat te. Iam dicunt responsurum, id est, missurum auxilium de cælo. Declarant igitur, quatenus Deo sedem tribuerint in Zijon, & illius sanctuario. Hactenus uidelicet, ut interim auxilium è cælo sperauerint, tanquam è ueriori illius sanctuario & habitaculo. Senserunt igitur, sanctuariū illud quod in Zijon erat, typicam esse Dei habitationem, nō ueram. Hoc discrimine & hodie utendum est, quoties de sacramentis ac mysticis rerum cælestium imaginibus mentio incidit.

Quartò, *In potentia salutis dextera suæ.* Notandum hic est, quomodo Deus de cælo inuocantibus se adflictijs respondeat. Respondebit illi, inquit, Vnde de cælo sancto suo. Quomodo: in potentia salutis dextera suæ. Hoc est respondere factis, non uerbis: dum adiuuando & liberando declarat, quod inuocationem illorum audierit ac suscepit. Respondet etiam interna spiritus sui consolatione, antequam auxilium mittat. Verū hoc genus responsionis ut est occultū, & paucis cognitū,

Agnitum, ita non tam ad illustrandam D. maiestatis gloriam facit, atque dum opere salutis ac liberationis respondet. Est autem illud planè iucundum pijs, quòd Deo tribuitur potentia saluificæ dextera, qua cum in cœlis habitet, nihilo tamen minus in terra periclitantes pios liberare ac seruare, impios uerò perdere potest. Mirabilis scilicet dextera, quæ desuper è cœlis ad terram usq; demittitur. Ergo in cœlis esse Deum, non est esse remotum, aut absentem, sed esse omnipotētē, & tam uicinum omnibus, ut potenti dextera nusquam non quiduis efficere queat. Sic alibi propheta dicit: Dominus noster in cœlo, quæcunq; uult facit.

Illi in curribus, & isti in equis.) Videmus hoc loco discrimen impiorum & piorum in rebus arduis. **OBSER.** Impij, quoniam fide nominis Dei ac fiducia bonitatis illius destituti sunt, aliter se, ubi res graues ac difficiles tentandæ ueniunt, gerere non possunt, quàm ut iuxta humanæ rationis consilium, rebus uisibilibus ac sensibilibus instructos sese reddant quàm optimè. Sic impij isti Ammonitæ cum Dauidem bello essent impetituri, tum se uicturos iudicabant, si & plures aduersum paucos, & instructiores contra minus instructos in prælium descenderent: ideoq; & equis & curribus, & multitudinem militum instructissimi ad certamen uenerunt. Sic perpetuò legimus gentes aduersus populum Dei ad confligendum his rebus confisos uenisse. Pij contra, quoniā & potentiam & bonitatem Dei agnoscunt, ac fide nominis illius præditi sunt, fiducia D. auxiliij magis quàm uirib. carnis instructi, periculis sese committunt. Sic dicunt hoc uersu, Illi in curribus, & isti in equis, nos autē nominis Domini Dei nostri recordamur. Q. d. Fides nominis Domini Dei nostri, erit nobis loco curruum & equorum. Freti auxilio Dei nostri, prosternemus hostes nostros, quantūuis armatos & multos. Et hoc erat illis etiam Deut. 17. præceptū, ne rex ipsorum multiplicaret sibi currus & equites, sed librum legis sedulo inspiceret. Et cap. 20. ne sibi timerent, si quando hostes multos curribus & equis instructos aduersum se uenire cernerēt. His præceptis quid exigebatur aliud, quàm ut magis fide nominis Dei, quàm armis, curribus, & equis confisi, prælium inirent? Sic fortes extiterunt pij fide, & per hanc bella gesserunt, regna uicerūt, castra exterorū subuerterunt, &c. Ebr. 11. Ad hunc modum armatus pugnabat Dauid aduersus Goliath, excellenter armatum: Tu uenis contra me, aiebat, cum gladio & hasta, & clypeo: ego autem uenio in nomine Domini exercitū, Dei agminum Israelis, quibus exprobrasti hodie: & dabit te Dominus in manum meam, & percutiam te, & auferam caput tuum à te. Itaque Israelitæ quàm diu sic fide nominis Dei armati bella gesserunt, uictores euaserunt: postquam uerò ad brachium carnis, relicta diuini nominis fiducia, conuersi sunt, & cum gentibus more gentium certarunt, semper infelicitè pugarunt. De Christianorum bellis quid dicendum sit, nemo cordatus non uidet ac deplorat.

B Transeamus ad pugnam quæ geritur inter spiritū mendacij, & spiritum ueritatis. Spiritus mendacij armatissimus uenit, sapientia, prudentia, & uiribus huius seculi instructus, habens in exercitu suo Papas, reges, principes, episcopos, & quicquid sublime est in carne. contra spiritus ueritatis his uiribus mundanæ sapientiæ & potentiæ destitutus, ac sola fiducia nominis Dei armatus, pauperes, ignobiles, contemptos, & paucos secum ducens, & ipse dicit: Illi in prudentia, sapientia, & potentia carnis, ego uerò in nomine Domini Dei uenio: cadent illi, ego firmus persistam.

Sed dixerit quisquam: Ergo damnable est armorum & reliquarum creaturarum usus, sic ut illo reprobato, sperandum duntaxat in nomine Dei existat? Respondeo: Non hoc agitur. Nam & illi ipsi, qui hoc psalmo proponuntur, & reliqui pij reges, armis usi sunt. Non reiicitur usus, sed fiducia armorum & creaturatum. usus cōmunis est pijs & impijs: discrimen uerò consistit in fiducia, quàm pij in Dominum Deum suum, impij uerò in creaturas collocant. Distinguendum ergo est ad hunc modum, ut usus creaturis, fiducia uerò creatori deputetur. Posset ille sine nostra opera dare omnia: uerū ut certā uirtutis ac bonitatis ipsius experiētiā capiamus, uult ut conflicturi, utamur armis: fructibus telluris potituri, in terra operemur: uitam hanc fragilem sustentaturi, comedamus & bibamus: genus nostrum multiplicaturi, matrimonio iungamur: uolūtatem ipsius agnoscaturi, uerbum ueritatis audiamus, ac fide percipiamus. Sic requirit, ut cooperatores ipsius simus, non quòd opera nostra egeat, sed ut operationem ipsius admirabilem, & stupendam re ipsa experiamur, & in fide ipsius exerceamur & crescamus. Et ut certò cognoscamus, nihil esse plantantem, nihil rigantem, nihil operantem hominem: sic operationem suam dispensat, ut aliquando nihil efficiat qui operatur, sed omnem operam ludat: deinde sæpenumero ipse solus sine nostra opera, res grandes efficit, & plerunque operantes nos ita instituit, ut ratio humana sperare effectum nequeat. id quod eò tendit, ut caueatur ne gloria accedat carni. Sic solet per paucos, infirmos & contemptos, magna quædam & stupenda perficere. Hæc obseruatio ad id spectat, ut in omnibus diuinam prouidentiam cuncta disponentem agnoscamus & suspiciamus.

Dominus seruat regem.) Obseruandum est hoc uersu, quod dicunt, Et respondet nobis quo die inuocauerimus eum: ubi uidemus, quā fiducia opem Dei sui implorent pij. Inuocant Deum sine ulla hæsitazione, secundum dictum Iacobi. **OBSER.** *Vers. ult.*

Deinde & illud notandū est, quòd cum supra uersu 6. dixerint, Respondebit illi de cœlo sancto suo: iam, Respondet nobis, inquit. Significatur, respondere Deum populo suo, quando regi respondet: sicut & salus regis, populi salus est. Etenim populum uerius quàm regem ipsum concernunt, quæ rex pius à Deo petit, & accipit.